

fol. 12<sup>r</sup>

Friedrich von Nürnberg

[1421 Dezember]

[12r] <sup>n)</sup>Rectoratus magistri Ffriderici de Norenberga<sup>o)</sup>

Anno domini m<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup> vicesimo primo in vigilia beati Thome apostoli demane facta congregacione doctorum et magistrorum per honorabilem  
5 virum magistrum Ottonem de Lapide doctorem iuris canonici protunc  
rectorem per iuramentum in capella universitatis electus fuit concorditer  
in rectorem magister Ffridericus de Norenberga<sup>p)</sup>, in cuius rectoratu acta  
sunt subscripta.

<sup>q)</sup>Item anno domini m cccc vicesimo secundo xi<sup>r)</sup> mensis ianuarii magister  
10 Otto de Lapide doctor in decretis rector immediate precedens fecit compu-  
tum de omnibus receptis et expositis per eum in rectoratu suo et singulis  
hincinde defalcatis idem magister Otto satisfecit et presentavit novo rec-  
tori decem denarios presentibus honorabilibus viris magistro Iohanne de  
Francfordia sacre theologie professore, domino Iohanne de Noet, magistro  
15 Dyetmaro de Treysz decretorum doctoribus, magistro Iohanne Ryechen  
decano facultatis arcium, magistro Gerardo Brant in theologia licenciato  
et magistro Iohanne Eystetten baccalario in theologia et universitas quitat  
eum.

<sup>s)</sup>Rector universitatis studii Heydelbergensis

20 Vobis omnibus dominis doctoribus, magistris, nobiles, licenciatis, bac-  
calariis ceterisque universitatis suppositis mandamus, quatenus hodie hora  
prima post meridiem conveniatis in scolis novis artistarum superioribus ad  
audiendum constituciones quasdam et statuta statum vestrum et honorem  
concernencia sub pena iuramenti prestiti. Datum anno domini m<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup>  
25 vicesimo secundo die xxv mensis ianuarii nostri rectoratus sub sigillo. Et  
protunc rector fecit quandam arengam circa materiam honestatis clericalis  
et cum hoc publicavit statuta, que eciam per singulos futuros rectores cum  
quadam exhortacione debent publicari etc.

Item anno quo supra in festo sancti Valentini, quod erat xiiii die mensis  
30 februarii, facta congregacione universitatis sub hac forma: Honorabiles do-  
mini doctores et magistri, sitis hodie hora nona in capella beate virginis

<sup>n)</sup>Handw. A <sup>o)</sup>Noren- e zwischen -rn- über der Z. A <sup>p)</sup>Noren- e zwischen -rn- über der Z.  
A <sup>q)</sup>Handw. A <sup>r)</sup>fehlt wohl die A <sup>s)</sup>Handw. A

32